



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Quod nihil factum est ante cœlum & terram. C

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



*Psalms. 101.*

Et in Propheta: Initio tu Domine terram fundastis & opera manuum tuarum sunt celi. Et videtur contrarietas quaedam oriri ex assertionibus istis. Nam si primo omnium creata est sapientia, omnia post ipsam facta videntur: & ita post ipsam facta videntur celum & terra, & ipsa facta ante celum & terram. Item si in principio creavit Deus celum & terram, nihil factum est ante celum & terram, nec ipsa sapientia facta est ante celum & terram. Cum ergo contraria videatur, nec in divina scriptura fas sit sentire aliquid esse contrarietatis, requiramus intelligentiam veritatis.

*Quid tenendum sit docet premissas auctoritates determinando.*

Videtur itaque hoc esse tenendum, quod simul creata est spiritualis creatura, i. angelica, & corporalis: secundum quod potest accipi illud Salomonis: Qui vivit in æternum creavit omnia simul, i. spirituales & corporales naturas: & ita non prius tempore creati sunt angeli, quam illa corporalis materia quatuor elementorum: & tamen primo omnium creata est sapientia: quia etsi non tempore, precedit tamen dignitate. Quod autem simul creata fuerit corporalis spiritualisque creatura, Augustinus super Genesim aperte ostendit, dicens, per celum & terram spirituales corporalesque creaturas intelligi. & hæc creata sunt in principio, scilicet, temporis vel in principio, quia primo facta sunt.

*Quod nihil factum est ante celum & terram, nec etiam tempus: cum tempore enim creata sunt, sed non ex tempore.*

Ante ea nihil factum est: nec etiam tempus factum est ante spirituales, scilicet angelicam naturam, & ante corporales, scilicet, materiam illam quatuor elementorum confusam. Illa enim cum tempore creata sunt, nec ex tempore, nec in tempore. Sicut nec tempus in tempore creatum est, quia

*Eccle. 18. a  
Quod simul  
creata fuerit  
corporalis,  
& spiri-  
tualis crea-  
tura auctori-  
tate format.  
Lib. 1. cap. 1.  
Tom 3.*